






280



MISCELLANÆ
Quæstiones XIV.

De quibus,
Favente Altissimo,
Publicè disputabit

Sub Præsidio

M. JACOBI VVERENBERGH,
Hamb. Facult. Phil. adjunct.


VICTOR MANGG,
Schrattenthalensis Austriacus.

XIII. Cal. Septemb.

WITEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman.

ANNO 1608.



Philos. 1069



QVÆSTIO PRIMA.

An, quia Relatorum unio in respectu fundatur, negandum ideo est, quod reali præsentia interdum conjungantur?

Nihil æquè impedit scientiam, quàm si studiorum ratio habeat aliquid vagum atq; instabile. Econtra nihil magis tædio afficit, quam iisdem semper immorari atq; adhærere. Alterum ergo altero temperandum est, ne illud vires ingenij varietate turbet; hoc languorem adferat. Debemus imitari apes, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quicquid attulere, disponunt, ac per favos digerunt, & ut Virgilius ait, liquentia mella stipant, & dulci distendunt nectare cellas. Placet hoc in præsentia, ideo quæ ex diversis disciplinis quæsita varia congesti, breviter nunc disponam, ulurus ferè ordine fortuito. Erit autem à Logicis initium, in quibus ne eadem semper crepare videar, Ramum, quem aliàs refutandum mihi sumsi, cum pace dimittam. In alio operæ precium faciam, notaturus ea, quæ Crellius ex Logicis principijs ad stabiliendum dogmata Calvinianorum adducit, & compendio suo Logico immiscet, quæ atro digna sunt calculo. De quibus tamen non omnia dicam; quæ in schola Theologorum dici possunt & debent; (non enim ea nostra Rhodus est) sed ubi dixerò ea, quæ ex principijs Logicis possunt erui, satisfecisse me meo officio existimabo. In Categoria Relatorum Crellius extra Lyceum egressus convertit se ad certamen Eucharisticum, & quia Sacramenti vox relationem notat, vult hinc efficere, quod nulla alia inter panem & corpus Christi in cœna constituenda sit unio, quam ea, quæ in respectu fundatur, quia relatorum esse est referri. In quo discursu plus infert, quam permittunt præmissæ. Est sanè essentialis Relatorum conditio, ut referantur ad se invicem: sed illa non impedit, ut interdum reali præsentia relata quoque conjungantur. Non declarabo hoc exemplo canthari vel sacci: juvat ex sacris unum

A 2

vel

vel alterum exemplum mutuari. Erat quidam respectus inter dilectas linguas in ore Apostolorum, flammulasq; circa capita eorum, & Spiritum sanctum, & tamen cum illa re visibili verè aderat Spiritus sanctus, quem per hoc medium missum Apostoli acceperunt *Act. 2.* Sic inter flammeos equites, & angelos Dei quædam datur relatio, & tamen ibidem, ubi apparebant flammei equites, præsto erant angeli Dei *4. Reg. 6.* Simili ergo modo non valet, inter panem & corpus Dominicum in cœna datur respectus. Ergo non junguntur inter se reali præsentia. Concludimus hinc, quod relationis proprietates non evertant realem præsentiam corporis CHRISTI in cœna, quod volebat evincere Crellius.

QVÆSTIO II.

An omnis prædicatio aut propria, aut figurata dicenda est?

Ex industria primò obscurus est Crellius in definienda prædicatione tam propria, quam figurata. Propria, inquit, est quando inter subjectum & prædicatum affinitas est. Figurata, quando inter subjectum & prædicatum naturale dissidium est, quæ idcirco jungi non possunt, nisi per aliquam figuram. Deinde sequitur explicatio paulo dilucidior. Propria est, quando duo prædicabilia de se invicem naturaliter dicuntur. Figurata, in qua prædicatum cum subjecto non propriè, sed per figuram aliquam, quæcunq; tandem illa sit, copulatur, estque disparatorum & pugnantium. Ut igitur propria sit prædicatio, debet primò prædicatum subjecto affine esse: deinde debet illa affinitas fluere ex natura. Hoc si recipiamus, copia propositionum non exigua nascitur, de quibus non licet dicere, quod sint vel propriae, vel figuratae. Sæpe enim prædicatum non est affine subjecto, si cursum naturæ spectemus, quod tamen supranaturali Dei potentia redditur affine. Sic Soli per naturam non est affine quiescere, aut regredi: neq; ferro innatare aquis, & tamen hoc fit affine ex potentia Dei absoluta. Ex his ergo si propositiones fiant, non erunt dicendæ propriae: magis autem absurdum est, dicere easdem figuratas: Sol quiescit: Sol regreditur: Ferrum innatat aquis. Nulla enim datur figura, quæ combinationem istam facit. Quare non sufficiunt duæ prædicationum species, ut à Crellio definitæ sunt,

sunt. Quod si quem delectet adeo *διχαλωία*, poterit prædicationum species commodè partiri hoc modo. Omnis prædicatio vel est propria, vel est figurata. Propria vero ea dicitur, in qua termini propriè sumuntur. Figurata ea est, in qua vel uterque terminis, vel alteruter tropo modificatus est. Deinde poterit subdividere propriam in regularem & inusitatam. Regularem vero eam commodè appellabit, quæ vel congruit, vel reduci potest ad aliquem modum prædicabilium. Inusitatam denique ex Chemnitio rectissimè definit talem prædicationē, in qua vocabula retinent nativam significationem, modus vero prædicationis ad regulas & leges prædicabilium non congruit. Exempla prædicationis hujus sequentis quæstionis expositio suppeditabit.

QVÆSTIO III.

An inusitatæ sunt prædicationes, quibus dicitur, quod Deus sit homo, & homo Deus: & verbum caro factum.

Licet à parte negante sit Crellius, & in eadem sententia ponatur Thomas: nobis tamen potior est veritas, quam ut à majoribus accepimus, ita sanctè servare studebimus. Possumus quidem illud admittere, quod dicit Crellius in istis, quæ sunt de CHRISTO FILIO DEI, enunciationibus sive DEUS, sive HOMO subjiciatur, semper *ἡ λέξις ὑποθέσται* supponi, & de ea prædicatum enunciari, sed quod addit nihil hic disparatum, nihil inusitatum esse, quodque hominem ratione carnis assumptæ de CHRISTO dici, DEUM respectu verbi assumptis prædicari de eodem vult, in eo assentiri ipsi non possumus. De toto enim CHRISTO dicitur, quod sit DEUS & HOMO, & quod dicitur de toto, ad totum quoque refertur, causa autem, cur dicatur, ea est, quia humana natura divinæ personaliter unita est. Dicitur deinde de CHRISTO, quod sit DEUS & HOMO, non accidentaliter, quia accidens prædicatur in quale: de Christo autem dicitur in quid, quod sit DEUS & HOMO. Deinde ex accidente sive prædicabili, sive prædicamentali & supposito non fit ens per se unum. CHRISTUS autem DEUS & HOMO est una individua persona. Neque prædicatur DEUS & HOMO de CHRISTO tanquam species de individuo; quia species totam indivui essentiam exprimit: cum autem seorsim dico: Christus est homo, per homi-

A 3

nem.

nem utramque Christi naturam non exprimo: quare ut species de ipso dici nequit. Sequitur & hoc absurdum, si dicamus in hac propositione, Christus est Deus, speciem prædicari de individuo, quod Deus sit species. Quare ne in hæc absurda incidamus, concedendum non est, quod juxta modum speciei fiant hæc prædicationes. A reliquis autem prædicabilium regulis etiam adversariorum confessione eximuntur. Quocirca quia ad nullum prædicabilium modum revocari possunt, quia tantum distat suppositum æternum, à specie creata, quantum disparatorum unum ab altero recedit, colligimus, quod dicendæ sint prædicationes inusitatæ.

QVÆSTIO IV.

An tropus potest esse in tota attributione, quando omnia propositionis membra retinent propriam & nativam significationem?

Nos negamus, Calviniani contra acriter pugnant pro nova illa tropi ratione, tanquam pro nuper nata filiola, à qua non exiguum causæ suæ pollicentur præsidium. Hæc nempe est bellissima illa puella, quæ postea fit Pandora, largissima hæresium atque turbarum sentina. Beata certè fuit priscorum ætas, cum adhuc illa latitaret, cum tropus definiretur verbi vel sermonis in aliam significationem translatio. Tum enim communis & recepta erat opinio, illam vocem tropo modificatam fuisse, quam interpretatio alio vocabulo efferebat. Nunc causa tropi confunditur cum ipso tropo. Attributio causa est, ob quam vocabulum aliquod in propositione adhibitum tropum recipit: non vero ipsi attributioni tropus inhæret. Hoc etiam aliud agentes fatentur sententiæ hujus patroni. Negant quidè in hac propositione: Herodes est vulpes, ullam vocem in alia significatione usurpari, quam propriam. Sed mox quasi immemores hujus assertionis subjiciunt, quod Herodes sit vulpes metaphoricè, hoc est, si explicetur, sit similis vulpi, natura vulpina præditus. De his conciliandis dum ipsi cogitant, nos ad alia pergimus.

QVÆSTIO V.

An quæ Deitatis sunt propria, quando de carne Christi prædicantur, necessario vel contingenter dicuntur?

Val-

Valdè exagitat Crellius nostrarum Ecclesiarum sententiam, in qua asserunt idiomata divina, carni Christi realiter communicata esse, sed non essentialiter, non formaliter, non habitualiter, non subjectivè. Ac contra hanc assertionem abutitur axioma Logico rali: Si neque essentialiter, neque subjectivè & accidentaliter ista insunt, nullo modo insunt. Connexionem autem istam in præcedentibus probasse videtur, quando aliud ponit Logicum principium, idque tale. Quicquid alicui inest, id vel per se, vel per accidens, sive quod eodem redit, vel essentialiter, vel accidentaliter & contingenter inest. Quod principium summoperè commendat, quia non ex humano cerebro, sed ex ipsa luce à Deo in hominum mentibus accensa depromptum est. Si veritatis studium Crellio cordi esset, non ita luderet vocum ambiguitate, sed accuratè discerneret hæc duo quæsitæ, in quibus aliud & diversum planè quæro. Aliud enim est, quando quæro, an necessario vel contingenter aliquid cohercat cum altero: & aliud, cum quæro, an essentialiter, an subjectivè insit. Non enim quod contingenter inest, id statim subjectivè inesse dicendum est. Quod subjectivè inest, accidens prædicamentale est: quod contingenter inest, accidens prædicabile nominatur: quod discrimen aliàs probè novit Crellius: nunc vero, ut imponat rudioribus, ex industria confundit. Atque hoc primum est hoc loco diligenter animadvertendum, quod duo distincta axioma pro uno eodemque ponit. Deinde omisso priori axioma, de posteriori, quod Logica pro suo agnoscit, tenendum est, quod omnia quæ alicui insunt, vel necessario, vel contingenter inesse dicenda sint, si simplici aliquo respectu considerentur: aliàs si geminam nanciscantur relationem, absurdum non est dicere, quod pro diversa illa ratione necessario partim, partim contingenter prædicentur, Proinde non incommodè addi poterit membrum tertium, in axioma proposito, eritque plenior enumeratio talis. Omnia quæ alicui insunt, vel necessario, vel contingenter, vel pro diverso respectu partim necessario, partim contingenter insunt. Quo autem modo idiomata divina carni Christi insint, non est meum hîc determinare, sed ad scholas Theologorum pertinet: si tamen in illam inclinavero sententiam, quæ pro diverso respectu & necessario & contingenter, inesse dicuntur, video me nullis urgeri difficultatibus. Notare hæc volui simplici studio, ne quis Logicis principijs abuta-

abutatur in articulis fidei, sed sobriam & salutarem eorum usum se-
retur. Quæ porro Theologica multis in locis tractat Crellius, ea
lubens prætereo, ut rectius in castra Physicorum transeam, & ex il-
lis quoq; aliquid notatu dignum excerptam.

QVÆSTIO VI.

An ad omnem motum principium activum in-
trinsecum requiritur, ut sit, & dicatur natura-
lis: an sufficit passivum.

Si solum activum principium motum facit naturalem, nulla
generatio naturalis erit, quia generans semper est extra genera-
tum. Similiter pleræque alterationes inter species motuum natu-
ralium referri amplius non poterunt. Nec putredo motus natura-
lis erit, nec elementorum mixtio naturalis dicenda. Principium,
namq; movens in mutationibus hisce extrinsecum est. Videtur
proinde hæc sententia omnino deferenda, quia numerum motuum
nimium imminuit. Contra si sufficit principium passivum, nul-
lus motus erit, qui non possit naturalis dici: nam & violentæ muta-
tiones cum fiunt, dandum in illis est principium passivum, si non
naturale, certè obediens. Quare neque hæc sententia simpli-
citer admittenda est, sed cautione hac adhibita corrigenda est: Su-
fficit principium passivum ad motum naturalem constituendum, si
sit naturale, & determinatum, & proxime inclinatur ad illum motum
quem respicit. Hæc limitatio omnes motus violentos, & illos et-
iam, quos mixtos vocant, accuratè distinguit à motu naturali. La-
pis quando projicitur, habet quidem principium passivum, sed non
naturale, verum obedientiale solummodo, ideoque motus ejus vio-
lentus dicitur. Motus cœli circularis dicitur naturalis, quia habet
principium passivum, quod ad illum motum proxime inclinatur. In
elementis idem motus circularis dicitur mixtus, quia habent prin-
cipium passivum, quod proxime inclinatur ad motum rectum, circu-
larem vero secundario saltem recipit. Putredo mixtorum naturalis
est, quia inest mixtis hæc potentia, qua resolvi in elementa deside-
rant, cum resolvenda sunt. Exempla plura non addo, cum res
plana sit.

QVÆ.

QVÆSTIO VII.

Quomodo aqua calefacta pristinum frigus recuperat?

Opiniones aliorum super hac quæstione primò ponemus, ac refellemus. Suspiciatur Averroës non aquam calefieri, sed vapores aquæ inclusos: hinc aquæ, quæ frigida mansit, tribuit pristini frigoris restitutionem ab ipsis vaporibus, atq; hac ratione calore omnem interire statuit. Sed refellit eum sensus, qui deprehendit continuum, non intermissum esse aquæ calorem ac æquè partibus aquæ inherere, quam vaporibus. Refellit eum modus agendi rebus naturalibus proprius, quo per contactum omnia fieri, omnia effici dicuntur. Quod si verum est, non video, quomodo calor vaporibus possit communicari, ut tamen aqua intermedia non incalescat? Refellit eum vehementia caloris in efficacia, quæ tanta non est in vaporibus, quanta in aqua animadvertitur. Averroëm relinquamus & aliorum opiniones persequamur. Est ergo alia Pauli Veneti sententia, qui per accidens pristino frigori aquam restitui existimat, quatenus nimirum aqua rarefacta condensari iterum cupit, cui desiderio dum satisfacit, frigus una recuperatur. Ita nēpe *ὁ ἕρως* fit *ἡρότης*: condensatio enim sequitur frigiditatem, & frigus densitate prius esse convenientissimum erat, quia magis activum est. Est adhuc alia sententia Ægidij, qui similiter ad illam productionem, quæ fit per accidens, recurrit. Dicit enim aquam recuperare frigus, quatenus destructionem caloris intendit. Sed in Physica impingit principia. Potius natura distinctionem caloris per accidens desiderat, frigoris vero generationem per se intendit. Toletus novam quandam Jacobi Forliviensis recitat sententiam. Is enim dicere solitus est, quod partes aquæ eundem caloris ardorem non recipiant, & propterea credidit ferventiores partes à minus calidis in pristinum statum revocari. Sed neque hæc sententia id, quod sensus dicitur, sequitur, neque difficultati omni ex parte satisfacere videtur, quia de eo adhuc quærere licet, quomodo partes minus ferventes redeant ad naturam suam? Multis Burlei placet sententia, quæ aëri circumstanti hæc aquæ vicissitudines tribuit. Verum iisdem urgentur difficultatibus, quibus impugnantur superiores sententiæ; Aëri enim, cum minus insit frigoris, quam aquæ, ascribunt tamen causam majoris

B frigid-

frigiditatis. Neq; ullius momenti istud, quod ad aëris motum recurrunt: reponere enim licebit aquam, ubi nullus subintret novus aër, & tamen aqua ad pristinum frigus redibit. Restat itaque Avicennæ sententia, quam, paucis immutatis, amplectimur, causam frigoris reparati referentes ad propriam aquæ formam potentia frigefaciendi imbutam. Quæ enim dependentia erit amplius accidentium à forma, nisi ista sit, quod conservent illa, & pro incolumitate ipsorum pugnent, eademq; amissa recuperent?

QVÆSTIO IIX.

Quam ob causam motus lapidis naturalis majorem impetum circa finem nanciscitur?

Quæsitum est omni tempore summa cura, ac præcipuo studio de hac motus vicissitudine, à plerisq; tamen frustra, & cum veritatis jactura. Hipparchus causam credidit esse in motu violento, qui naturalem præcedere solet. Hic enim, cum res incipit locum suum naturaliter repetere, nondum totus cessavit, sed adhuc virtute sua reniritur, ideo motus naturalis in initio tardior est: circa finem vero, cum jam contrariam virtutem plane superavit natura, sublato omni impedimento, motus redditur velocior. Ita philosophatur Hipparchus, & primum in illud incidit absurdum, quod in motu violento virtutem quandam impressam recipere cogitur: deinde non potest hæc speculatio omne dubium expedire, cum non semper, sed interdum hoc verum sit, quod motus violentus præcedat. Alexander ad occultam quandam recurrit qualitatem, quam corpus naturale extra suum locum contraxisse existimat. Necessum enim est, ut corpus, quod ad locum movetur, in initio motus à loco suo sit remotum, & alieno in loco versetur, cujus qualitatem una participat. Hæc ergo in initio motus naturæ magis resistit, donec iterum ejecta cedat, quo facto, vis naturæ intenditur, & sic circa finem motus acceleratur. Sed revera hîc occultum quid fingitur, quod natura non monstrat, neq; etiam producere solet sine præcedente alteratione sensui obvia. Occultum autem fingitur, quia difficultas non tollitur. Fuerunt deinde magni nominis Philosophi præsertim Themistius, Thomas ac Albertus, qui motum
natura.

naturalem ideo circa finem intendi crediderunt, quia quo magis res naturalis ad locum suum accedit, eo magis augetur desiderium occupandi eum, & sic vehementiori impetu fertur. Sed cum natura sine deliberatione agat, non videtur hæc causa sufficere. Imprimis, quia non licet hoc modo satisfacere illi difficultati, quæ ostenditur in motu facto ex remotiore distantia: hic enim motus velocior est, quam si in propinquo intervallo incipiat. Cum itaque in mobili nihil invenire licet, quod varietatem hanc in motu efficere possit, tandem ad mediæ resistantiam itum est, sed neque hic idem resistantiæ modus ab omnibus assignatus. Durandus existimavit aërem circa terram ideo minus resistere: quia ob impuritatem redditur gravior. Sed non intellexit veram resistantiæ causam. Medium ideo resistit, ne continuitas solvatur. Hæc autem non propter gravitatem aut levitatem difficilius solvitur, sed propter densitatem. Unde videmus, in aere motum velociorem esse corporum deorsum tendentium, quam in aqua. Ergo cum Zabarella veram causam minoris resistantiæ, quæ est in medio circa finem motus, oriri arbitramur ex impulsu, qui jam ante ab initio motus præcessit. Cum enim lapis incipit moveri, pertingit quoque hic motus ad infimum aërem, qui, cum agitari jam cœpit, minus resistit. Hinc etiam experientia edocti illud observare solemus, quando lapidem fortissimè volumus projicere: prius motu brachiorum impellimus aërem, deinde mittimus, ut aer impulsus melius cedat. Unum causæ huic Physicæ addendum arbitror desumptum ex Opticis, quod tale est. Si detur linea perpendicularis tangens circulum, sursumque illa erecta sit, & in centro circuli sumantur æquales anguli, æqualibus istis angulis inæquales respondebunt lineæ partes, majores circa contactum, minores in supremis lineæ partibus. Verisimile itaque est ex parte etiam ad apparentiam saltem motum circa finem incitari.

QVÆSTIO IX.

An quia elementis gemina attributa est qualitas, utraque in summo gradu est constituta?

Non sunt omnia in hac quæstione ita expedita, sicut nonnullis videtur, sed omni ex parte difficultas quædam sese ostendit.

B 2

Si

Si enim utramque qualitatem in summo gradu constitutam asseras, illud objici poterit, quod omnis qualitas, quæ primo & immediate alicui subjecto inest, illi soli debeat, nec in eodem rigore alteri attribui possit, siquidem impossibile est, ut unius rei proprium diversis subjectis fiat commune. Ergo quia summus caloris gradus igni tribuitur, nequit aëri similis competere excessus: sed calor aëris remissus erit. Quod si jam ita videatur, & altera saltem qualitas excellens dicatur, remissa altera, ea teneris difficultate, quod qualitates elementorum non sint primæ, sed ex primis mixtæ: quia remittuntur excessus qualitatum per contrariæ qualitatis addita mentum. Quod si dixeris ex sua natura qualitates illam mediocritatem nancisci, non propter commixtionem contrariæ qualitatis, illud admittere cogaris, quod specificum sit discrimen inter excellentes illas, & remissas qualitates: quod si probaveris, tota doctrina de symbolis elementorum corrui. Ex his perspicuum est, quantis involuta sit hæc quaestio difficultatibus, ex quibus an nos expedire queamus, certo promittere non possumus, periculum tamen facere libet. Commodissima autem erit ratio solvendi omnia dubia, si distinctè progrediamur. Ergo primum servetur discrimen, quod datur in intensione & remissione qualitatum. Interdum intenduntur qualitates accessu novorum graduum, eorundemq; recessu fiunt remissæ. Interdum excessum nanciscuntur, quatenus fortissimè radicantur: remittuntur verò, quatenus subjecto minus fortiter inhaerent. Deinde fiat distinctio inter qualitatem ipsam & efficaciam qualitatis. Sæpe enim forma eadem diversas nanciscitur vires, propter materiæ diversitatem, vel adhaerentes qualitates diversas. Tertio illud quoq; dignum notatu, quod de elementis, pro ut pura sunt, verba faciamus, non qualia sunt in partibus suis, variis modis confusa. His ita præmissis geminam qualitatem tribuimus elementis non in excellenti gradu efficaciam, quo ad formam tamen puram, & non remissam, adeoq; etiam symbola retinemus. Neq; hac in parte aliquid asserimus, quod sensui repugnet, Summus & excellens in aëre humor est, sed efficacia ejus retunditur à calore: neq; aliter cum calore comparatum est. Neque hac ratione propria alijs subjectis fiunt communia. Calor sicus igni proprius est, qui non communicatur aëri, cujus calor humidus est. Reliquæ difficultates antea motæ nostram sententiam non impugnant, sed comprobant.

QVÆ.

QVÆSTIO X.

An cor princeps humani corporis pars est,
& solum principatum tenet?

Sine ulla urgente ratione Medici divortium fecerunt ab Aristotele tribus membris assignantes principatum in corpore humano, cerebro, cordi, & epati, cum Aristoteles soli cordi hunc honorem deferat. Quem etiam soli deberi inde constat, quia dum periculum imminet, reliqua membra non pro cerebri aut hepatis incolumitate pugnant, sed de conservatione cordis sollicitè admodum cogitant: in corde enim fit concursus sanguinis & spirituum. Quem ergo honorem exhibent cordi reliqua membra, cur illum nos ei denegaremus? Neque certè convenit plura excogitare humani corporis principia, cum unum ejus sit temperamentum, calidum quoque ac humidum innatum unicum, quod non aliunde derivatur, nisi à corde, nec per aliud conservatur, quam per cordis virtutem. Interim libenter concedimus, quod cerebrum & epar proximum locum teneant, proximos occupent honores, quia à cerebro nervorum est initium, & epar officina est sanguinis. Qua in parte Medicis & experientiæ plus, quam Aristoteli credimus.

QVÆSTIO XI.

Certior ne ex lætitia interdum, quàm ex dolore mors homini obtingere potest?

Nihil certi in hac quæstione potest decidi, priusquam constet, quæ in utroque affectu spirituum eveniat agitatio. Lætitia igitur, quia ad persequendum acquirendumque bonum spiritus evocat, facit, ut cor dilatetur, & ad exteriora membra cum calore spiritus diffundantur. Unde etiam læti in risum solvuntur. Nam cordis expansionem sequitur dilatatio diaphragmatis, diaphragmate vero dilatato musculorum & oris motus excitatur, ac ridentis formam refert. In dolore contra, quia mali fuga nos exstimulat, quod jam jam imminere sentitur, ne spiritus solitarios aggrediatur, facilemque victoriam reportet, videt natura conjunctis viribus pugnandum esse. Ideo ad cor confugiunt spiritus, ut pro ejus incolumitate strenuè dimicare valeant. Non tamen in omni dolore simplex hic

motus solummodo datur, sed etiam cor quasi vindictam quarens, emittit per intervallum spiritus tanquam irruens in hostem adversum, unde fit, ut membra confundantur, & trepident, nisi cum dolor vehementissimus est. Ex his patet, quod ex utroq; affectu mors possit oboriri: in lætitia enim homo extinguitur eodem planè modo, quo ignis ventis nimium agitatus dissipatur. In dolore vero, ut in eodem exemplo permaneamus, sic extinguitur homo, quem admodum ignis, qui inhibito aeris ingressu, cum refici nequit pabulo idoneo, suffocatur. Si ulterius autem quæramus, uter affectus vehementiores & ad interitum properantes magis impetus habeat, lætitia plus posse videtur quàm dolor. Illius enim motus simplex est, ad alterum extremum vergens, ideoq; vehementior: Hujus compositus, & ex contrarijs mixtus, & ob id remissior, nisi cum dolor vehementissimus ob malum præsentissimum excitatur. Comprobat nostram hanc sententiam illud Valerii de mulieribus Romanis, quas genus casus inusitatum consumsit: quas enim dolor non oppresserat, lætitia extinxit. Valerius lib. 9. cap. 12.

QVÆSTIO XII.

Cur non senex æquè ac juvenis, si erubescat, laudatur?

Definitur Vulgo verecundia tristitia de defectu proprio in præsentia alterius, quam Cicero optimam cupiditatis moderatricem, custodem virtutum omnium alibi vocat. Valerius nominat parentem omnis honesti consilij, tutelam solemnium officiorum, magistram innocentia, caram proximis, acceptam alienis. Oritur autem verecundia non ex sola tristitia, sed tum excitatur, quando propter præsentiam alterius laborat facies, quasi ferre non valens præsentiam ejus, qui nostrum defectum videt. Propter quod natura quasi opem latura illuc calorem mittit, calor etiam sanguinem trahit, unde rubemus: quod in adolescentibus laudem meretur. Signum enim est ingenui animi, cui cum cura sit defectus proprii, spes emendationis certa concipitur: ut inquit Fracastorius. Proinde Diogenes Cyrius, cum adolescentem quendam alloqueretur, cerneretq; eum rubore perfusum: confide, inquit, color enim iste virtutis index est. Tantum enim sanguinis in ore, quantum in animo pudoris ait Plinius. Propterea etiam olim toga prætexta utebantur pueri, ut

ri, ut ex purpuræ rubore ingenuitatis pudore regerentur, ut refert Macrobius. In senem autem verecundia laudari non solet, utpote qui factus senex, correctus tamen non sit, & virtutem non habeat. Præstat tamen etiam senem verecundum esse, quam impudentem. Verecundia enim omni loco, omni tempore favorabilem præ se fert vultum, ut inquit Valerius.

QVÆSTIO XIII.

An domestica mala lacrymis sunt majora?

Ut assentiamur huic quæstioni movet exemplum Psammeniti Ægypti regis. Is regno exutus primum filia servitium turpe, deinde filij necem spectare cogitur: Contra quæ animum obfirmatum gerens, ex amicis senem quendam facultatibus amissis stipem rogantem lamentis & ploratu prosequitur. Hinc jussu Cambysis de eo facta rogatus, hoc tam pium, quam prudens dedit responsum. Domestica mala majora esse, quam ut deflere ea potuerit, & amici casum, qui ex amplissimis opibus in extremo senectutis limine ad inopiam recidisset, dignum lacrymis fuisse. Suadet id ipsum quoque ratio. In summo enim & vehementissimo dolore unus simplex spirituum datur motus, quo ad cor refugiunt, eique succurrere volunt, & sic in tali motu partes corporis non colliduntur, neq; lacrymæ exprimi possunt: At in dolore moderato interdum spiritus cordi suppetias ferunt, interdum quasi impetum facturi in hostem vim suam in externis quoq; membris exferunt, & dum hac ratione membra agitantur, humor, qui oculis adjacet, exprimitur, & lacrymarum copia profluit. Causa itaq; evidens est, cur summus dolor lacrymas reprimat, evocet moderatus.


QVÆSTIO XIV.

An actio invita dicenda, quam ira suadet, & ebrietas?

Non esset hæc quæstio dubia, si ab omnibus intelligeretur, quidnam esset invita actio, nec errantium multitudo videretur parere errori patrocinium, aut etiam exempla aliorum, non satis intellecta, multis imponerent. Dicuntur Aristoteli invita *ἀνεσθητὸς βία* & *δι' ἀγνοίας ἁπόρρητα*, quæ fiunt aut vi aut per inscitiam.

Hinc

Hinc multi colligunt, quod etiam actiones invitæ sint dicendæ, quas suadet ira & ebrietas, quoniam ira brevis est insania, de qua rectè possis usurpare illud Poëtæ: Fertur equis auriga, nec audit currus habenas. Unde fit, ut irati adeo præcipites ferantur, ut sibi ipsis imperare non possint. Deinde ebrij adeo sæpè obruuntur vino, ut neq; pes neq; mens suum faciat officium, unde quid agant, nesciunt. Videtur proinde in his actionibus & vis & inscitia concurrere, quæ invitam faciunt actionem. Verum attendendum est, quod vera vis fiat non nisi à principio extrinseco, quod libertati nostræ non subicitur. Jam vero vis illa, quam ira parat, fluit à principio intrinseco, de quo dicitur *Gen. 4.* sub te appetitus tuus & tu præes illi. Quare ea vis invitam actionem non facit. Neq; inscitia sufficit aut valet ad veniam, cum in ebrio propriâ culpa acquiratur: estq; hic accurate distinguendum inter agere ignoranter, & agere per ignorantiam. Qui ignoranter agit, eum alia quædam causa ad agendam impellit quàm ignorantia, & proinde ejus actio non dicitur invita. Qui verò per ignorantiam agere dicitur, in illo omnis error actionis ignorantia asscribitur, quæ nisi crassa sit, veniam meretur, & actionem invitam parit, si comitem habuerit pœnitentiam. Ex his cum omnes facile intelligant, quod in definitione invitæ actiones nullum invenire possint patrocinium, exemplis aliorum sese tueri conantur: & introducunt Noachum ebrium, Theodosium iratum, Moysen justo zelo exardescentem. Priora duo exempla quod attinet agnoscere potius in illis infirmitatem humanam, eamque deplorare debemus, quam malitiam nostram illi tegere. Moysis factum cum scriptura commendat, *Hebr. 11.* nos illud vituperare non possumus, sed potius ita sentimus, quod tanquam futurus Judæorum dux vindictam exercuerit, non privatam, sed, quæ ex officio ad ipsum spectabat, quodq; de homine injusto ac delinquente pœnam sumserit.



Soli DEO gloria.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv.,








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



LLANEÆ
ones XIV.

quibus,
Altissimo,
disputabit
Præsidio
VERENBERGII,
t. Phil. adjunct.

M A N G G,
ensis Austriacus.

l. Septemb.
BERGÆ
s, per Joh. Gorman.
1608.

